



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

27. S. Joannes Chrysostomus Ecclesiæ Doctor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*Instructio meritoria.*

Excutiamus insuper segnitiam nostram, & hodie flectentes versus quatuor mundi partes oremus *quinque Pater & Ave*, ut Deus submittat viros Apostolicos, quorum spiritu, & zelô animæ jamjam de salute periclitantes feliciter salventur, & hæ quàm plurimæ. Chare! justa petimus: Impetrabimus. Solùm orantibus non desit constantia.

Solemnitas S. Joannis Chrystomi, Magni Ecclesiæ Doctoris.

## EXHORTATIUNCULA I.

**E**Cce! Magnum Ecclesiæ Oratorem! magnum verbis: majorem factis, maximum virtutum exemplis. Hi gradus sunt, quibus ducimur ad montem religiosæ perfectionis, & miræ sanctitatis. Fili! scandere lubet? sit nostra comes generositas, & Christiana prudentia. *Fortitudo, & laus mea Dominus.*

*Instructio meritoria.*

A verbis incipiamus, & bonos discursus, ac colloquia religiosum decentia inducere inter nostros, vel promovere fa-



tagamus. Theſaurizemus & nobis quotidie in multis precibus, & ardentiffimis ſuffragiis ad Deum, Mariam & Sanctos fundendis. Linguam ſanctificemus recitandò *Pſalmos graduales*. Ita os noſtrum os erit S. Chryſoftomi.

## II.

**S** Chryſoſtomus parcit nemini ex improbis; quia timet neminem. Hinc aulas, & principes in ſuum ſuſcitavit caput, optimè gnarus: Præſtat diſplicere homini, quàm Deo. Fili! Deus! an homo imperat nobis? Deſpici meretur à Deo, qui in hujus cauſa hominem reſpicit. Deum ſuſpiciamus, & pergamus, non quò invitamur, ſed quò procedendum.

*Inſtructio meritoria.*

Ut tollatur reſpectus politicus, & humanus ex cordibus omnium religioſorum, præſertim ſuperiorum, omnisque cura impendatur diſciplinæ Monafterii ſecluſò hominum vanò timore, in honorem quatuor Doctorum Eccleſiæ *duodecim Pater & Ave* cum totidem *Gloria Pa-*



*Patri &c.* persolvamus. O quot veritatis Christianæ nacti sumus Magistros!

## III.

**M**ulta scripsit S. Chrysofostomus, eò spiritu, & zelo, ut dignus sit æstimatus, cui S. Paulus Apostolus (quem ille coluit mirè) scribenti, & prædicanti dictasse, videatur. Laborantibus pro Deo, & ipsi succurrunt Cœlites. Filii mi! non simus desides! possumus & nos: modò prompta non desit voluntas ad pios labores. Hîs emitur Scientia Dei.

*Instructio meritoria.*

Cum gaudio proin nostra aggrediamur studia, nec tœdio, nec torpori, nec defatigationi cedamus. Verùm ut Deus nobis suâ potenti adsit gratiâ, studiis præmittamus *Veni S. Spiritus.* Cui & orationem de Festo S. Chrysofostomi addamus. Sapientia donum est Dei. Non datur nisi supplicanti.